Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1595
Quelle:
Copyright:

visum Librario nostro. Referuntur hic, quae acta sunt a. 1415. *Die 5. 25.* et 29. *Maji* cum *Johanne* profugo, citato, *Cellas* deducto, deposito, una cum *Decreto Synodi*, quod extat in *Actis supracit.* p. 282. Praecedentia vero, prout hic in *Codice* habentur, in impressis *ad verbum* non reperio.

VII. *fol.* 52. *Passio martiris gloriosi Johannis hus Patroni incliti Bohemorum.* Init: *Anno domini 1415. feria sexta post procopij* &c. Saepius relata, ut habes in *Indice*, ad quem frequenter etiam ablego circa Scripta ipsius *Hussi* ibi sub unum conspectum posita, ut iteratis ab uno *Codice* ad alterum remissionibus parcam.

VIII. *fol.* 56. Epistolae quaedam pertinentes ad *Joh. Hussi* negotium. Harum I. *Joh. Gersonis* ad *Conradum* Archiep. *Prag.* qui ei per *Petrum de Praga* Codices quosdam dicti *Hussi* examinandos miserat. Promittit Cancellarius eorum examen instituendum a Cardd. *Pisano* et *Remensi*, aliisque Episcopis et Doctoribus; maxime queritur de Articulo: *Quod prescitus et malus Episcopus in peccato mortali nullam habet dominacionem, uel iurisdictionem, uel potestatem super alios de populo christiano*, quem e *Wiclefianis* adoptaverat *Joh. Hussus*, velut *perniciosissimo* etiam *quo ad omnem civitatis politice conseruacionem;* censet ostendenda *Wenceslao* Regi pericula inde emersura, et addit quorundam Articulorum scriptam a se Censuram. *Parisius 24. Apr.* Anno, ut videtur, 1414. II. *Simonis* Card. et Archiep. *Remens.* ad eundem *Conradum.* Deplorat turbas *Bohemiae*, hortatur ad vigilantiam, et obsistendum principiis, *Arium*, teste *Hieronymo*, in Ecclesia *Alexandrina* Scintillam fuisse &c. Laudat et commendat *Petrum de Praga* latorem praesentium *propter labores, quos in causa fidei sustinet. Scriptum parisius XXVI. mensis Septembr. A. D. M° CCCC° XIIII°.* III. *Conradi* Archiep. *Prag.* Responsum datum *Joh. Gersoni.* Gratissimas sibi futuras ait *Auisaciones et Scripta super extirpacione errorum illius perniciosissimi Heresiarche quondam Joh. Wykleph*, et Procuratorem suum *Petrum de Praga* illi et *alme Vniuersitati Parisien.* commendat. *Datum Prage II die Mensis Augusti A. D. M° CCCC° XIIII°.* IV. Excerptum e quadam *Joh. Gersonis* Epistola ad eundem *Conradum*, quod incipit: *Habetis autem brachium potestatis secularis — Wenceslaum — bohemie regem, cui displicere prefatos errores dudum aput nos vlgatum est.* At vero *Wenceslaus*, ut notum, connivebat, et *Conradus* demum ipse in *Hussitas* inclinavit. Ceterum, quas hactenus retuli, Literas nullibi impressas reperi. V. *De Articulis Episcopi* (Johannis) *lutbomisl. oblatis Regi Sigismundo ex parte Concilij.* Brevis conspectus Epistolae ad Regem datae, qua rogatur Legatos ad

Concilium